ORATIO FRANCISCI BOCCHIJ, DE LAUDIBUS IOANNÆ AUSTRIÆ, QUÆ REGINA NATA…

Francesco Bocchi

Digitized by Google

ORATIO FRANCISCI BOCCHII
DE LAVDIBVS IOANNAE AVSTRIAE,
QVÆ NATA REGINA VNGARIÆ, ET BOEMIÆ, INFELICI PARTV MORTEM OBIIT.

INGENS luctus breuis lætitiæ voluptatem, quam fore diuturnam credebamus, vt videtis honeſtiſſimi viri, ſubſecutus eſt; Tantoq́; grauior ille incidit, quantò ſpes erat amplior, nũquam eſſe nobis occaſionem defuturam, quæ nos præcipuis in bonis, perpetuiſq́; vitæ contineret. Doloris, & lacrimarum cauſæ conquieuerant, nullus iam belli timor, nulla moleſtia ſollicitabat, omnis peſtilentiæ ſuſpicio, quæ nos diu, multumq́; torſerat, extincta erat, nullaq́; re quietum otium interpellante, vnuſquiſque, vt quàm lætiſſimam vitam duceret, ſuo commodo cogitabat. Meminiſtis nondum vertente anno cùm eſſet auctus filiolo Magnus Dux, quanta lætitia tota vrbe agitata ſit, quantopere viri boni cæterarum rerum obliti ſeſe gaudio extulerint, quàm omnes mortales ſingularem in ſuæ Reipubl. caput voluntatem patefecerint, vt id bonum, quod multis rebus fortuna cumularat extincta Magni Ducis coniuge, lectiſſima fœmina grauiore dolore caſus hic acerbiſſimus obrueret. Fuit eiuſmodi hoc vulnus, vt re ipſa experimur, vt magnitudini doloris concedendum ſit, & mœrori ſuccumbendum; eas enim lacrimas, quas paulo ante gaudio profudimus, importunè nunc acerbus Ioannæ Auſtriæ interitus ad luctum repetiuit. Sed vereor, ne hic ipſe dolor, qui vos omnes tantopere percuſſit, me vehementius afficiat, quàm vt veſtrę expectationi, & tanto muneri, ſilentioq́; non poſſim ſatisfacere. Opprimit ille cogitationes ſua magnitudine, & conſilium peruertit, vt niſi me copia ſingularium virtutum

huius nobiliſſimæ mulieris reuocaret, & vt bono eſſem animo quodammodo moneret, valde mihi timendum eſſet, ne rem tantam ſuſtinerem. Sed turpe mihi mehercule duco, cùm fuerit tam fortis hęc mulier, atque omni tempore cùm omnibus vitijs pro virtute bellum geſſerit, me animi mollitia deficere, atque has partes, quas ſuſcepi, non aliqua conſtantia exiguo tempore tueri. Non mediocris eſt virtutis vis, ſed magna, atque incredibilis non ſolum in viris, verum etiam in fœminis, vt quia parte infirmitate animi laboramus, ipſa vt liquet, præſtò ſit, ſecundisq; rebus, & aduerſis, cùm res poſtulat, medeatur. Animi, non viribus corporis eſt opus, vt cuncta rectè adminiſtres; & quamquam imbecilitas hæc terrena te affliceret, magno tamen animo, & forti, quę tibi aduerſantur, potes ſuperare. Virtus enim, niſi tibi hoſtis eſſe vis, tacitis vocibus hortatur, vt alio animo, & excelſo ſis, atque ea omnia deſpicias, quæ inani honore, populariq; gloria celebrantur. Enituit tanta hęc virtus in Ioanna Auſtria pręcipuo quodam modo, & ſingulari, quæ cùm Regina nata eſſet Vngariæ, & Boemiæ, Ferdinadi Imperatoris filia, Maximiliani Imperatoris ſoror, nepotemque ex fratre iam haberet Imperatorem, & Carolum Quintum Imperatorem maxima totius familiæ gloria vidiſſet, agnouit illa quidem tantos honores, tantas dignitates, veruntamen non eò vſque opinione muliebri ſeſe extulit, vt conſtantiam, honeſtatem, modeſtiam, cæterasq; virtutes cunctis fortunæ bonis non haberet cariores. Hac perenni animi inductione, conteſtataq; virtute ſeſe ita geſſit per triginta annos, vt & nobiliſſimi generis haberet rationem, & animum ad cęleſtes dignitates exerceret. Fuit enim natura mitis, forma eleganti, & pulchra, tranquillo vultu, & modeſto, quem mens placida fingebat; tantaq; oris dignitate, vt nihil, niſi egregium, niſi honeſtum, niſi altum, dum adeſſet, poſſes cogitare. Cum ſingulis ita loquebatur, vt verba eius teſtimonia diceres; quæ verò promittebat, aut affirmabat, ita re præſtare religiosè, tamquam aram tenens, conſueuerat. Veſtris oculis viri optimi vidiſtis, neque aliorum teſtimonio indigetis, quàm castè, quàm pie magnitudini, & grauitati familię moderata ſit, & quantopere ea, quæ alij ferunt laudibus in cœlum, pro nihilo duxerit, & fortiter contempſerit. Etenim circumfluens rerum omnium copia regalibus in ſumptibus fuit minimo contenta, magnisq; in facultatibus tenuiſſimo

cultu

cultu vſa eſt, & cùm multa traherent ad laudem huius vitæ, ad gloriam, cuncta tamen ipſa ad Noſtri Seruatoris ſplendorem, dignitatemq́, reuocabat. Nutus ipſe integerrimæ mulieris verba erant, & voces, quibus totam cohortem ad virtutem incendebat, vt, cùm ſe vultu commouiſſet, omnes ad probitatem, ad ſanctitatem morum ſe converterent. Illud autem eſt præter cætera cunctis admirabile, Numquam ad luxum ingentes opes, quę fuerunt illi attributę, ſed ad frugalitatem, ad rationem, ad Chriſtianam pietatem, quam toto pectore ſemper coluit, prudentiſſimè deſcripſit. O ſingularem præclaræ mulieris conſtantiam. O animi firmitatem, innocentiamq́; prædicandam? Magna cum laude in hominum vſu, magnaq́, cum prudentia medijs in cohortibus verſata eſt; vbi odioſa eſt grauitas, & periculoſa ſeueritas, frons omnium iucunda, animus inſidioſus; opertę blanditiæ, aſſentatio pernicioſa, atque vbi nullam eſſe cauſam mali ſuſpicaris, ibidem plerumque occaſionem exitij repertas. Sanctis illa lectionibus diuina totos dies abſumebat, repetitaq́, ſanctarum virginum memoria, & cęleſtium virorum vita multis verbis celebrata, ad eorum ſe mores ardenti pietate conformabat. Qua cæcitate homines, quibus vitiorum tenebris, dum ſuas ſequuntur cupiditates, obruuntur? Quibus ſe ſcelerum mæandris, & voluptatum laqueis circundant, dum proiectis præſidijs virtutis totos ſe inertię tradunt, ſuæq́, peruerſitati turpiſſimè committunt? Victrix hæc mulier vitiorum, & ſcelerum ita ſemper proſtrato acerrimo hoſte ſuperior diſceſſit, vt hanc ipſam, quæ tam fortiter, tam conſtanter ſeſe geſſit, admirari, intueri, atque imitari omnes iure optimo iam debeant. Hæc eſt illa, quæ ſingulari ſapientia prædita integerrimę vitæ conſtantia cunctorum hominum beneuolentiam collegit. Hæc eſt illa, quæ cùm ſuis in regionibus, ac ſedibus caſtiſſimè vixiſſet, hanc noſtram patriam non generis nobilitate tantùm, ſed ſplendore etiã vitę, ac ſanctitate illuſtrauit: Hęc eſt illa, quam exteræ nationes colunt, ſui venerantur, quæq́, nullorum laborum, nullarum moleſtiarum recuſatione cùm ſuum virum ad extremum vſque ſpiritum ſumma eſſet obſeruantia proſecuta, eidem; cunctiſq́; mortalibus huius florentiſſimæ ciuitatis propter egregias animi virtutes ingentem luctum, & diuturnas lacrimas reliquit. Nullum incommodum præclara hæc mulier vnquam recuſauit, vt ſacras ædes frequentaret, & dies feſtos animi

 mundicia,

munditia, atque innocentia obiret, vt perſæpè ſpurciſſimis tempeſtatibus neglectis, grauiq; cœlo eo comitante cohorte ſe reciperet, vbi noſtro Seruatori, ſanctiſſimæq; eius Genetrici pro animi ſalute ſupplicaret. Spartæ, vt memoriæ proditum eſt, ſic flagellis ad aram pueri accipiebantur, vt multus ſanguis non ſine vitæ periculo è viſceribus exiret, atque id, vt Dianæ, id eſt, vt maleficæ ſuperſtitioni ſatisfacerét. Nobis verò, vt ſatis Noſtro Seruatori faciemus, vt Dei filio, vt diuinæ felicitatis auctori obſequamur, qui labor, quæ plaga, qui dolor recuſandus eſt? caduca ibi bona: hic autem perpetua aguntur: ibi hominum leuium, hic mandata Dei Opt. Max. curantur: ibi de terrenis ſolùm, hic autem de rebus cœleſtibus ſemper agitur. Ad luxum cohors, ad leuitatem hominum cupiditas, ad perniciem animi corporis imbecillitas impellit: hæc verò Auguſtiſſima fœmina, & ſanctiſſima frugalitatis ſibi, conſtantiæ, roboris præſidium aduocans ſpectantibus omnibus, atque videntibus modeſtia, & patientia bonis viris frequenter, ſed multò magis Deo ſe, & mirabiliter probauit. O felicem mulieris conditionem? O vitæ caſtiſſimæ integritatem exoptandam? O dies numquam pro ipſius animi ſalute fruſtra abſumptos? O mortem nimis ſæuam, & acerbam, nobiſq; ie omni tempore memorabilem? Quis tibi aditum aperuit, vt in artus caſtiſſimos furenter te immitteres? Quis permiſit, vt tibi in eius vitam tantopere liceret, cuius mens omnes ſcelerum impetus tam fortiter propulſarat? Non ne iam vides omnium animos, qui ſe hoc viuo exemplo ad virtutem erigebant, remolleſcere, et quod eſt nobis magno dedecori tribuendum, turpiter effœminari? Pſallere, & ſaltare, & tripudijs iuuenilibus numquam penè delectari (ſolet hæc ętas eſſe eiuſmodi, vt omnium deliciarum, & voluptatum illecebras profundat) ſed grauibus cum viris eſſe, religioſis, pijs crebrò, maximamq; vitæ partem vidimus traducere. Parce de ſe ipſa, de virtute multa loquebatur. Non cantus pueriles, non luſus populares, ſed cœleſtes voces, & dulcia acroamata Euangelicæ veritatis in eius ore verſabantur. Vt iam tota cohors, (quam ipſa, ſimulatq; pedem limine extulerat, ad virtutem inflammabat) non ſe mulierem, ſed caſtiſſimę mentis, & ſanctiſſimæ exemplar intueri fateretur. Magna illa ſpectauit ſemper, ſibiq; animo finxerat (cùm eſſet nata nobiliſſimo genere, vt ſcitis) amplitudinem multò maiorem, quàm quæ ab Auſtrio ſanguine poſſet proficiſci,

ſciſci, altiſſimam quandam animi exaggerationem, quę non in
his rebus caducis, ſed diuinis habitaret, vt ſe ipſa ſine venditatio-
ne, & ſine populo teſte perpetuò frueretur. Hominum conuen-
tus, & multitudinem fugere non poterat, ſed vultus dignitate
quicquid ſolet cohortium relaxare licentia, & morum ſingula-
rium exemplo aſtringebat: vt peregrinari in plurimorum viro-
rum celebritate, & ſtipata ſatellitum caterua excelſo animo ſoli-
tudinem captare videretur. Non illi Lucretiæ, aut Virginię pro-
pter exemplum obuerſabantur, ſed eas, quas diuina lege Noſtri
Seruatoris videbat commendari, colebat vehementer, damna-
taq; cupiditatum prauitate expreſſam in ſe veræ virtutis effigiem,
non adumbratam aliquam imaginem gloriæ perfecerat. Vim ho
neſtatis primis temporibus ætatis pænè cum lacte ſugere, & ſe
caſtiſſimis in rebus exercere conſueuit, multoq; vehementius im-
puritates, quàm peſtem, quam mortem inductione animi horre-
bat, vt dubitare debeat nemo, quin animus nullo vitio macula-
tus, qui veræ laudis vim imbiberat, & cœleſtem probitatem degu
ſtarat, in eo tam fortiter maneret, quod videret omnium voce
cōprobari. Nuſquam profectò deprauatus animus conſiſtit, ſem
per ſe ſollicitat, ſemper errat, pati pęnè nihil poteſt, ſibiq; ipſi nũ-
quam ſatisfacit; optat immoderata, ſuoque magno malo num-
quam cupere deſiſtit. Venit Florentiam ſumma omnium expe-
ctatione e Germania, longinquis ex locis ad virum totius Italiæ
nobiliſſimum, magno, atque honorifico comitatu, nihil illa vn-
quam per tot annos in tanta fortuna ad lautitatem, nihil ad lu-
xum, nihil ad muliebrem vanitatem concupiuit; eodem vultu,
eadem oris dignitate, eadem modeſtia eam animi grauitatem
ſemper præſtitit, quam intulit primò in hanc vrbem. Cuius ad-
uentu cùm ſe omnes exhilaratos eſſe faterentur, iidem nunc tam
repentino interitu, atque acerbo lacrimis, & luctu ſe grauiſſimè
commotos eſſe dicunt. Quis enim tanto robore vnquam prædi-
tus fuit, tanta conſtantia, tanta fortitudine, qui ſe tanto hoc ma-
lo non angeret, tanta calamitate non afflictaret? Quis ex tanta læ-
titia, vt nobis euenit, tantum vnquam cecidit in luctum? Quis
cùm magna bona in poſterum ſe viſurum iudicaret, ſua ſpe decē-
ptus tam ſingulari detrimento, atque incredibili afflictus eſt?
Amiſimus, mihi credite, materiam, ac ſegetem modeſtiæ, probi-
tatis ſpecimen, pudicitiæ columen, & totius virtutis exemplum;
vt cum

vt cum illa præclarè, nobiſcum tamen malè omninò actum eſſe fateamur. Vos autem ſanctiſſimi mores, qui dum viueret hæc præſtantiſſima mulier tantopere floruiſtis, ſanire tam hoc tanto fulmine cœpiſtis, quàm veſtra auctoritas, veſtra dignitas, veſtra ſui gloria imminuta, & quàm ſpes omnis maximo ſanctitatis detrimento conciderit. Intuemur veſtigia hanc vitam relinquentis, proſequimur oculis adhuc integritatem, pictio ore, ſed animi vocibus incredibilem innocentiam requirimus; victoq, gaudio exultat luctus, qui profectò, quicquid erat in nobis lętitiæ, lacrimis detergit, & depaſcitur. Squalent nunc hominum cupiditates, quæ ſe ad probitatem tantæ virtutis imitatione exercebant; lugent ſacri Oratores, qui piam alacritatem, contentionemq, dicendi tam importuna morte amiſerunt, ſollicito deſiderio ipſa propemodum templa ſeſe cruciant, ſuiſq, ſedibus celebritatem, decus, dignitatem imminutam eſſe dolent. Sed magna mercede mehercule tantæ virtuti ſummus hic honor, ſumma hęc gloria tribuitur. Etenim quò grauiores hoſtes, quibuſcum dimicandum eſt, atque acriores ſeſe offerunt, eò profectò, ſi viceris, maiores laudes aſſequeris. Tribuit natura mulierum corpori tenerum quiddam, & molle, multoq, magis, quàm in uiris eneruatum, vt non mediocri contentione ſit vtendum, ſi quid debent in virtutis operibus commorari. Fluunt voluptate animi, & delicijs liqueſcunt, & quo noluni nonnunquam cupiditatis ardore auferuntur, pręſidiaque virtutis, quæ ſolent eſſe tantopere ſalutaria, vt quandoque experti ſumus, parùm proſunt. Pręſto eſt præterea mollities, quæ ab animi robore abducat: furtim obrepit libido, quæ fibras omnes honeſtatis, & continentiæ incidat: non deeſt hominum peruerſitas, quæ animi patientiam, & firmitatem tentet, & oppugnet, vt niſi conſtantia quædam ſingularis cœleſti ſe gratia tueatur, magnum ſit periculum, ne ſæuiſſimi hoſtis, atque acerrimi inſidijs ſuccumbat. Quoties libido exardeſcit, & cupiditas concitatur, quæ noſtros ſenſus illecebris, & voluptatis dulcedine proleſtat? Sed in arcem, id eſt ad diuinum præſidium confugiendum eſt, & cœleſtia arma, quibus te tueare, induenda, vt hæc pręſtantiſſima fœmina, & ſanctiſſima ſingulis diebus facere prudenter conſueuit. Magnus in ducibus efferendis locorum difficultas, multum labor, anguſtiæ rei frumentariæ, & mille pericula proponuntur; Sed in ſeruanda caſtitate, inq retinenda con-

ſtantia

ſtantia quot offenſiones, quot labores, quot moleſtiæ ſeſe ſanctis fœminis proponunt? Vt quæ tanta mala, tanta exitia vicerit, quæ virtuti aduerſantur, non aliquid humanum, ſed diuinum tentare, atque aggredi omnino videatur. Huiuſmodi hæc præclara mulier periculis ſepta, ſcelerumq; tentationibus appetita, cùm ad numen varius Noſtri Seruatoris confugiſſet, inſidioſas dimicationes ſapienter eluſit, omneſq; minas forti animo contempſit. Ad aram genitricis Noſtri Seruatoris ſalutem ſuam, vt ita dicam anhelantem mori propemodum vidimus ſupplicando: cùm paſſis manibus, incredibili animi contentione, vt grata eſſent Dei Opt. Max. voluntati, quæ faceret, flagitabat; neque illa ad tempus, aut leuitatis, & gloriæ cauſa hæc fingebat, ſed corde, mentis firmitate, vero vultu, quem animus ſine fuco, ſine fallacijs exprimebat, omnes ſuos ſenſus in conſpectum diuini numinis profundebat. Quid ego de ſacris virginibus ſalutandis plura dicam, quàm ſibi in hoc ſtudio non parceret, quàm omnes labores, omnes moleſtias exorberet, vt earum commodis, quæ anguſtè alebantur, ſua præſentia, ſuiſq; opibus ſeruiret? Quo ardore, qua pietate ad peregrinationem illam, quæ tota Italia, aut cunctis potius in terris celeberrima ſemper fuit, ſua ſponte ſe commouit? Fanum illud Lauretanum, quod omnibus mortalibus religioſum maximè habetur, & loci ſanctitate admirabile, præcipuis quotidie laudibus efferri, & celebrari audiebat. Ad famam igitur tanti nominis excitata exarſit eius deſiderio videndi, & à ſuo viro poſtulauit (cui ſic omni tempore ſua modeſtia obſecuta eſt, vt etiam diuinæ legi ſatisfaceret: ita temperatè adhæſit, vt à Deo ſe numquam remoueret) vt eò cum honeſtiſſimo comitatu eius voluntate ire poſſet. Quid ego apparatum, quid dona opulentiſſima, quid induſtriam officioſam, quid comites magnifico cultu exornatos dicam? Ita iuuenes iter faciebant, vt virilem grauitatem præſeferrent; Ita mulieres ſuo ordine incedebant, vt ſpirare probitatem, & religionem viderentur; Ita viri omnes vultu auctoritatem teſtabant, vt ſentires nihil eſſe eis cordi, niſi quod mulieri prudentiſſimæ placeret. Quo illa affectu, quo gemitu, quo ſtudio, quibus pietatis flammis ſanctiſſimo in têplo genitrici Noſtri Seruatoris ſupplicauit? Repetebant memoria maiores natu, compluries ſe vidiſſe, qui eius loci viſendi, & pietatis cauſa veniſſent, qui verò tanta religione, tanta manſuetudine, tam demiſsè, tam piè adoraſſet,

adoraſſet, vt hanc fœminam Auguſtiſſimam intuebantur, ſe neminem vidiſſe affirmabant. O mulieris iam teneris in annis felicem grauitatem? O labores, piasq́; ſollicitudines cunctis ſęculis laudabiles? O nos miſeros à tanta probitate, à tanta virtute derelictos? Amplexari mehercule diuinum numen, ſuumq́; animum in Dei conſpectum ad aram effundere videbatur, cùm dignitatibus neglectis, & imperijs, ſe vnam animi ſalutem ſitienter, & diuitias celeſtes petere profiteretur. Id autem, quod dico cùm aliàs multis rebus, tum eo ipſo tempore, cùm pæne animam ageret, factum eſſe ſcimus. Quoties corporis dolor caſtigatus animi robore obmutuit? Quoties cùm faces intentaret, virili quadam conſtantia oppreſſus eſt. Laborabant artus acri quodam morſu, & cruciatu viſcera ardebant, mortisq́; minę iam intentabantur, iam nullus partus, ſed triſtis deſperatio erumpebat, cùm ipſa ſumma pietate numen Noſtri Seruatoris inuocans de animi ſalute, non de vitæ remedijs ſollicita cunctis ſenſibus ad eum, qui genuerat, ſingulari quadã caritate ferebatur. Obſtupuerant, qui modebãtur qui eius voluntati inſeruiebãt, ſe ipſos afflictabant, omnesq́; prætetea, qui Magnũ Ducẽ tã triſti ſpectacolo moerentẽ viderant, magnam ſibi miſericordiam, cunctæq́; cohorti tribuebant. Iam corpus dolore obriguerat, & ſpem vitæ penitus abiecerat, iam morientes voces exaudiebãtur, cùm ipſa magno animo ſupplicibus precibus Deum Opt. Max. rogauit, vt ſe omni vitiorum ſuſpicione per ſacerdotem expiaret, vt omnia Sacramẽta, quæ ab Eccleſia morituris tribuuntur, diuino munere aſſequeretur. Votiq́; compos cùm omnium hominum ęgeſtates Franciſco Medici viro ſuo, quem vnicè dilexerat, ſanctiſſimè commendaſſet, ad cœlum, vt boni viri putant, ad diuinas ſedes, ad ſuos neceſſarios, qui non hominum conſenſu, ſed Maximorum Pontificum ſanctiſſima auctoritate in Diuorum numerum relati ſunt, celeri curſu euolauit. Firmum animum, ſemper eundem, fortem, & conſtantem ex eo tempore, quo in lucem edita eſt, erectum ad virtutem, ad egregias artes incitatum perpetuo tenore conſeruauit; vt cùm eius vita integerrimè acta neſcio quid diuinum oleret, & cœleſte, quis iam poteſt dubitare, quin victis vitijs, comitante modeſtia, præſtantiſſimisq́; motibus ferẽtibus eò peruenerit, quò boni omnes ijſdem rebus ſe peruenturos eſſe arbitrantur? Hoc autem virtutis viuum exemplum nobiliſſimi viri, qui huc pietatis, & officij cauſa conuenistis,

ueniſtis, non fruſtra, ſed ſapientiſsimè propoſitum eſſe nobis debemus cogitare, vt iam ſedam dolore, atque abſterſis lacrimis, veſtigia ſanctitatis, integritatis, pudicitiæ, virtutis imitemur. Homines enim, qui in excelſo loco vitam agunt, quiq; ad virtutem ſingulis horis ſe conformant, nõ ſibi ipſis ſolum viuere, ſed quicquid faciunt, nobis ſingulari quodammodo præcipere videntur, vt in hac Auguſtiſsima fœmina, & nobiliſsima factum eſt, quæ compluribus liberis relictis, atque in his præclaræ indolis filiolo, deuictisq; ſceleribus, & vitijs, magno honore, præſtantiſsimis comitata virtutibus, animoq; lætanti, triumphum ad cœlum glorioſè deportauit. Dixi.

99947073